

via etymologia: *nes Mercerus* in notis ad Lexicon Sanctis Pagnini p. 3185. & *Simeon de Muis* in אמרי אמרי p. 217. existimant, esse vocem exoticam sive peregrinam. Quidam ut scribit *B. Lutherus* Comment. in Genes. ad cap. XXXI. v. 19. à נפך i. e. *mederi* aut *sanare* deducunt; quasi dicas: *salutares salvatores, hoc est, DEOS.* Ibid. p. 433. Sunt tamen, qui huic originationi analogiam Grammaticam adserunt aduersari.

2. Alii derivant à רפא i. e. *destitit, defecit, remissus* *R. Jehuda* fuit. *R. Jehuda*, in *Sobar*, sive Commentario Cabbalistico in V. libros Moïsis: *Quare, ait, dicuntur Teraphim? quia deprimunt & remissas faciunt manus hominum; sive, avocant à laboribus suis cultores suos: ut explicat optimè de litteratura Ebraica meritus Buxtorfius* Lex. Rabb. p. 2664. Paulò aliter exponit *R. Bechai*: *vocabulum תרפין deductum est à רפא & vocantur ita, quasi רפין (i. e. laxa, remissa, infirma) ad indicandum: quod verba ipsorum sunt quasi נבואה רפה i. e. prophetia laxa, inanis & vana.*

3. Sententiam *R. Jehudæ* uberiùs explanat *B. Lutherus*: *Mibi rectiùs derivari videntur Teraphim à vacando: & adluditur ad Sabbatismum, sive ad cultum; quòd fuerit eis vacandum, serviendum, & Sabbatum agendum: sicut Psalmo LXV. dicitur: vacate & videte, id est, mibi auscultate, desinite à vestris studiis: Last abe/last mich machen. Sic idola illa habuerunt sua Sabbata & cultus; à quo cultu dicta sunt Teraphim, daß man ihnen hat feyren müssen.* Comment. in Gen. l. d.

4. Sed & de hac Etymologià *Muis*: *Certè non admodum ad analogiam Grammaticam quadrat; uti facile judicabunt, qui Ebraicè sciunt: loco antè laudato.*

Faci-